

NUBIO DE CUTO



DE CONCILIO

L I B E R

REGINALDI POLI

CARDINALIS.



ROMAE, M. D. LXII.

Apud Paulum Manutium Aldi F.



COLL. SOC. IESV SALM. EX DONO REGVM.

AD PIVM III. MEDICEM,

PONT. MAX.

IN LIBRVM REGINALDI POLI CARD.

DE CONCILIO,

PAVLI MANVTII ALDI F.

PRAEFATIO.

OPTIME consuluit Ecclesiae suae Deus, atque humano generi uniuerso, cum in tanta rerum omnium perturbatione, & extremi iam periculi metu, Vicarium te suum, Pie III. inter homines constituit, ut omnibus malis prudentia tua mederetur, nosq; a summis difficultatibus, uel impendenti potius exitio ereptos, ad summam tranquillitatem, & optatam antea magis, quam speratam felicitatem traduceret. itaque nunc, tuis adducti praestantissimis & consiliis, & factis, maxime uero tua freti iustitia, quae tibi prima, & antiquissima uirtus est, fuitque in omni uita, boni uiri ex omnibus Italiae partibus, atque etiam ex transalpinis gentibus multi, ad Urbem confluunt; &, quia tuas omnes curas eò spectare uident, non ut angustis paucorum annorum terminis tuae fructus beneficentiae definiatur, sed ut ad posteros quoque perueniat; hic sibi certam omnium rerum, ac fortunarum suarum sedem, domiciliumq; constituunt. me quidem Venetiis, domestico patris mei restituentis antiquitatis instituto, & honeste satis, & commode